

V C  
2462



4  
H.



H. 27, 6 6

Can. I. No. III

Vc  
2462

Panegyricus Exequialis,  
Divo P. R.

**AUGUSTO,**  
Saxonie, Julie, Clivie  
& Montium Duci, &c.

*Lipsia dictus,*  
In publico luctu Academiae & Urbis,

Die VI. M. Februarij,  
Anno CHRISTI cl. lcc. XVI.

*A*  
JOANNE FRIDERICHO, FR.  
*Ultriusq; Linguae & Historiar. Profess. Publ.*



7.

LIPSIÆ, LAURENTIVS COBER excudebat.  
*Impensis IACOBI APELII.*

B. 3



Panegyricus Expedialis  
Divo PR.

AUGUSTO

Saxonie Julis Curie

& Montium Ducibus

Impressum

In publico horti Academici & Libris

DE V. M. V. M. V. M.

Anno Christi 1711



ALBERTUS DAVENINUS COPENHAGENENSIS  
Imprimis



SERENISS<sup>mo</sup>. AC POTENTISS<sup>mo</sup>.

Principi & Domino,

Dn.

IOANNI GEORGIO,

Duci Saxoniae, Iuliae, Cliviae &  
Montium, S. Rom. Imperij Archimar-  
schallo & Electori, Landgravio Thuringiae,  
Marchioni Misniae, Burggravio Magdeburgen-  
si, Comiti de Marca & Ravensburg,

Domino in Ravenstein, &c.

Domino suo Clementiss<sup>mo</sup>.



ONDV M EST QVIN-  
quennium, Sereniss<sup>me</sup> P R.  
Electori, Domine Clemen-  
tiss<sup>me</sup>, cum fatis ita ferenti-  
bus, Illustriss<sup>mo</sup> Electori Sa-  
xoniae, CHRISTIANO  
SECUNDO, laudatissima recordationis  
Principi, in Exequiali conventu, Universtita-  
tis hujus & urbis, frequentissimo, parentavi.

A 2 Quod

P R Æ F A T I O.

Quod officium, ut triste & acerbum mihi  
 visum, ob ereptum Principem eum, qui he-  
 roica quadam animi excelsitate, pietate in-  
 credibili, prudentiâ atq; autoritate summâ  
 Gubernationi præfuisset amplissima: Sic,  
 cum pio voto & deprecatione solenni hac,  
 id tum munus impositum obij; ne nostris re-  
 bus tam adversa fata ego quidem experirer  
 unquam, ut denuò in simili elaborandum ar-  
 gumento, aut feralis illa cathedra, per vitam  
 mihi conscendenda iterum esset.

Verùm ò fortuna vices incertas ac mo-  
 mentaneas! ò vanas & fallaces spes no-  
 stras! Dum tuis, Sereniss<sup>me</sup> Princeps, auspi-  
 cijs, vigente ac florente Republicâ, omnia no-  
 bis salva, omnia leta fingimus; subito, vi fa-  
 torum imperscrutabili (nostris haud dubiè  
 peccatis sic promerentibus) per opt<sup>mi</sup> ac lau-  
 datissimi Principis AVGVSTI obitum,  
 novum vulnus, idq; grave ac funestum, Pa-  
 trie rursus infligitur. Hoc casu repen-

tino

P R Æ F A T I O

tino & inopinato, perturbata vehementer  
hæc Academia, solenne ac postremum id pie-  
tatis officium, quod, post fata, viris Principi-  
bus, studiorum liberalium Mæcenatibus ac  
Patronis, tribui ferè solet, in nostri quoq; Di-  
vi Principis memoriam, Parentatione publi-  
câ, celebrandum esse duxit.

Ac cum mihi denuò dicendi partes, in  
hac funestâ Panegyri, à Senatu Academico  
demandatæ essent; triste id quidem, at pium  
sanctumq; officium, prout debui, testificandæ  
humilimæ subjectionis studio, pro virili exe-  
cutus sum. Id verò, quicquid est, quod  
dixi in hoc communi luctu, inq; conspectu &  
frequentia summâ, Viriusq; ordinis Acade-  
mici & Politici, in hac Vrbe, typis hîc descri-  
ptum, Serenissimæ T<sup>a</sup> Celsitati offero humilimè;  
atq; ut hoc submissæ pietatis officium, pro in-  
natâ clementiâ suâ, illustri atq; eximiâ, acci-  
piat in optimam partem, nostraq; studia, glo-  
riæ in his terris divinæ, ac communi hominum  
socie-

P R A E F A T I O.

focietati, non in postremis, servientia, sibi benignissimè commendata esse sinat, omni, quâ par est, subiectione ac reverentiâ peto. Deniq, preces meas conjungo, cum pio voto ac comprecatione seriâ, inclyti Ducatus Saxonici universi; ut in multam etatē, salvâ illustrissimâ Coniuge, salvâ omni Stirpe ac Prosapiâ Generosissimâ, vivat, valeat, floreat Tua Sereniss<sup>ma</sup> Celsitudo, famamq, Nominis illustrissimam, & decus avitum Saxonica Domûs splendidissimum, cum magno Ecclesie Reiq, publicæ incremento, ad seram posteritatem, divinâ opitulante gratiâ, transmittat. Lipsiæ die 10. M. Februarij, Anno CHRISTI 1716. 10 c. XVI.

Sereniss<sup>ma</sup> T<sup>r</sup> Cels.

Subiectiss<sup>imas</sup>

JO. FRIDERICHVS,  
linguarum & historiarum  
Profess. Publ.

Panc-





Panegyricus Exequialis

Divo P. R.

**AVGVSTO,**

Saxoniae, Iuliae, Cliviae & Montium  
Duci, &c. Episcopatus Cizensis & Num-  
burgensis, Postulato Administratori;

*LIPSIAE DICTVS,*

*In publico luctu Academiae & Urbis;*

*Die VI. M. Febr. Anno CHRISTI*

*clo. lxxvi.*



Vos dies non ita pri-  
dem, exultationis & læ-  
titiae plenos, solenniter  
Ecclesia Christiana cele-  
bravit; anniversariam re-  
colendo memoriam Mysterij stupendi,  
τ ἐνσαρκώσεως τ λόγος, h. e. incarnationis  
salutiferæ unigeniti Filij DEI, sedentis  
jam, in assumptâ naturâ nostrâ, ad dextrâ

Maje-

O R A T I O.

Majestatis, & regnantis super omnes gloriosissimè; Eos dies ipsos, & quem inde exorsi sumus, incuntem hunc annum, sextum & decimum novi hujus seculi, mœrore & luctu complevit acerbissimo, mors subita, & inopinata, mors præpropæra & immatura, Celsissimi & inclyti P. A. V. G. V. S. T. I, Ducis Saxoniae, Iuliae, Cliviae & Montium, Landgravij Thuringiae, Marchionis Misniae, Comititis de Marcâ & Ravensburg, Domini in Ravenstein; Episcopatus Cizensis & Numburgensis Postulati Administratoris; Principis & Domini nostri, dum in vivis fuit, benignissimi. Quo casu repentino & tristifico, si quis est in hac Academia & Vrbe, imò hoc universo Ducatu Saxonico, qui se magnoperè perturbari oportere non existimet; eum profectò vel exuisse humanitatis sensum omnem, vel jacturam ac cladem,

quam

F V N E B R I S.

quam Mors piorum ac salutarium Principum afferre plerunque communibus rebus solet, minimè omnium intelligere necesse est. Nam & Natura mentibus humanis penitissimè legem hanc impressit, ut illustres & Principes viros, qui capita ac columnina sunt humanæ societatis, rerumq; publicarum firmamenta, non solum omni venerationis studio vivos, sed debito quoq; pietatis & doloris affectu mortuos prosequantur: Et testis est omnium temporum experientia, tristes atq; inopinatas aliquas mutationes, calamitatesq; privatas & publicas, hujusmodi funera ferè concomitari solere. Nos in hoc congressu confessuq; solenni, nondum abijsse quinquennium scimus, cum simili modo, non sine luctu & dolore acerbissimo, parentavimus serenissimo Saxoniae Duci & Imperij R. Septemviro atq;

B

Electo-



O R A T I O

Electori, CHRISTIANO SECVN-  
 DO, Principi pietate atq; animi excelsi-  
 tate eminentissimo; qui præmaturo o-  
 bitu suo, Patriam communem Germa-  
 niam, lumine & ornamento splendidif-  
 simo, Saxoniam verò hanc oram præ-  
 sidio maximo, difficilimis Reipubl. tem-  
 poribus, nudavit. Relicti fuere tum,  
 præpotentis DEI bonitate ac gratiâ,  
 Generosissimæ stirpis Saxonicæ Princi-  
 pes duo Fratres, IOANNES GEOR-  
 GIVS & AVGVSTVS, Domini &  
 Evergetæ nostri benignissimi; quorum  
 ille, fraternæ dignitatis eminentissimæ,  
 in Imperij Septemviratu, & ditionum  
 hæreditariarum amplissimarum guber-  
 natione, Successor, ita consilio, pruden-  
 tia, circumspeditione, vigilantia, indu-  
 striaq; incredibili, rem moderatus est in  
 hunc vsq; diem, ut non saltem æquasse  
 fraternam, in gubernatione difficilimâ,  
 felici-

felicitatem, sed multum quoq; superaf-  
 se eandem meritò existimetur. Hic ve-  
 rò fraterni Imperij laudatissimi, quoad  
 vixit, spectator atq; admirator fuit; sum-  
 maq; voluntate regimen ei potestatem-  
 que omnem permisit; quem aliàs since-  
 rè, ut fratrem, amavit; ut dignitate Se-  
 ptemvirali atq; ætate superiorem, debi-  
 to modo, suspexit, ac coluit. In hac con-  
 sensione animorum pulcherrimâ, visa  
 sibi est Patria jam emerfisse è luctu &  
 squallore omni; visa sibi est gratulari  
 hanc felicitatem; quòd Principes habe-  
 ret tales, qui & conjuncti animis ac vo-  
 luntate essent, & præclarè sapienterque  
 Rempubl. moderarentur. Verùm  
 ô fortunæ mutabilitatem & inconstan-  
 tiam! ô fati necessitatem inevitabilem!  
 ô vanitatem rerum humanarum, vitæq;  
 ac felicitatis spem momentaneam! Dum  
 salva omnia, omnia tuta putamus: Dum

O R A T I O

patriam extra luctum, extra periculum esse credimus; vulnus ei novum, grave, funestum, morte improvisa Principis optimi, Principis, inquam, AVGVSTI, infligitur. Hoc vulnere subito, inopinato, tristi, prostrata ac percussa jacet Patria: Luget, & meritò luget, Fratris optimi fatū Princeps Elector inclytus; Luget vidua Mater illustrissima; Mœret & dolet, inq; luctu & squallore magno versatur ante omnes, Generosissima Coniunx, ELISABETHA BRVNSVVIGIA; orbata Principe Marito dilectissimo; orbata gaudio suo, suo solatio, suo præsidio; in ipso ætatis flore, in amoris ardore medio, ac conjugij suavissimi quasi primordio. In hoc communi luctu, quid nobis faciendum? an non lugendum cum Principe; mœrendum & dolendum cum Matre Ducissa inclyta; cum illustrissimâ conjugē relicta; deniq;

cum

F V N E B R I S.

cum Electorali Aula totâ; cum Episco-  
pali sede vacuâ; cum universâ patria? Id  
nempe jam agimus; Id jam voce ac cul-  
tu corporis, omniq; hac Exequiali pom-  
pâ significamus, quotquot hic sumus;  
Et vivum meritò nos amâsse ac coluisse  
Principem inclytum; & fato jam ere-  
ptum, cum universâ patriâ, lugere; o-  
mnemq;, hoc ipso pietatis officio, nostri  
doloris & desiderij affectum exprome-  
re.

Nunquam autem ego quidem  
putavi futurum, cum ab hinc quin-  
quennio, paulo minùs, Divo CHRIS-  
TIANO SECVNDO, Electori in-  
clyto, ex eodem hoc loco, more Acade-  
mico, iusta funebria soluerem; ut denuò  
mihi in tam tristi argumento elaboran-  
dum, atq; hoc ferali habitu conscenden-  
da hæc cathedra esset. Idque ne fieret,  
DEUM præpotentem, vitæ nostræ di-  
spensatorem opt. Maximum, votis pijs

O R A T I O

quotidiè meo loco precatus sum. Sed  
 vicit fatum ! vicit divinæ providentiæ  
 decretum imperscrutabile ! peccatis  
 haud dubiè nostris ita promerentibus ;  
 ut denuo & funesta Panegyris celebra-  
 da nobis hoc loco , & quidem mihi,  
 decreto ac sententiâ, amplissimi Senatus  
 Academici, voce præcundum in his ex-  
 equijs sit. Parebo igitur fato , parebo  
 necessitati, parebo deniq; decreto Magi-  
 stratus Academici ; Et de Principe no-  
 stro pientissimè defuncto , breviter ea  
 commemorabo, quæ in hoc genere sup-  
 peditant usitata Rhetorum domicilia :  
*Ortus, inquam, Educatio, vitæ institutum,*  
*vitæ exitus.* Ex his quippe fontibus de-  
 monstrabitur, ita natum atque educa-  
 tum, ita animo ac vitâ constitutum, de-  
 nique mortuum fuisse nostrum Princi-  
 pem, ut in eo mirificè conspirârint, ἢ ὁ-  
 φημία καὶ ὁθαρρασία : Quo gemino scopo

univer-



F V N E B R I S.

universa felicitatis humanæ laus, uni-  
versa gloria terminatur. Id dum  
facio, Magnifice R E C T O R Aca-  
demix; Viri C O N S U L E S amplissimi; vos-  
que cæteri omnium Ordinum splen-  
didissimi, excellentissimi & honoratissi-  
mi Auditores; vos item, generis prosa-  
piâ Illustres & Nobiles, virtute & literis  
ornatissimi politissimique juvenes; quâ  
estis universi humanitate, quâ pietate er-  
ga defunctum Principem, non tam mihi,  
quam ejus, de quo verba fiunt, beatis  
sanctisque manibus, haud gravatè id da-  
bitis, ut Oratiuncula nostra, quæ cum  
dictionis simplicitate, conjunctam bre-  
vitatem idoneam habitura est, benignè  
attenteque audiatur.

S O L E N N E cunctis fermè genti-  
bus, non solum doctrina & humanitate  
perpolitus, sed etiam agrestibus & barba-  
ris, fuisse scimus, ut cum viros illustres &

præ-

O R A T I O

præstantes, de quæ Repubi. benè meritos,  
 post fata laudari, quam amplissimè vel-  
 lent, eorum præconia, non tantùm à  
 propriâ virtute, sed etiam Majorum for-  
 titudine, rebusq; gestis præclaris, dedu-  
 cerent. Rectè enim illis persuasum fuit,  
 à splendore Natalium, hoc est, à familiæ  
 claritate atque amplitudine, pulchritu-  
 dinem quandam & dignitatem virtuti  
 eximiam adjungi; Imò virtutem ipsam  
 non ex se germinare atq; efflorescere, in  
 præstantibus viris; sed à parentibus in fi-  
 lios, ab avis, atavisq;, in nepotes & poste-  
 ros, per generationem propagari, ac qua-  
 si cum ipso sanguine transfundi. Hinc  
*Romanos* illos priscos, orbis terrarum  
 dominos, & omnium mortalium for-  
 tissimos simul ac sapientissimos, cum fu-  
 nera clarorum ac nobilium hominum  
 efferrent, Majorum Imagines, expressos-  
 que cerâ vultus, & totius familiæ simu-  
 lacra,

OFVNEBRIS.

lacra, gentilitiumq; stemma vniversum,  
 longo ordine insigniq; pompâ, defun-  
 ctis præferre solitos, accepimus. Nec  
 probandi nobis *Aegyptij* veteres, qui in  
 funeribus suorum, cum laudarent de-  
 mortuos, genus & familiam prorsus si-  
 lentio involuebant; quòd omnes æquè  
 nobiles esse putarent: Multò minus  
 hodie ferendi *Turci*, βαβλαεινάτοι, qui  
 secundum Mahometicæ Legis præscri-  
 ptum, insulsum, crudele ac sanguina-  
 rium, extirpatâ & abolitâ omni inter  
 suos nobilitate, tantum cuiq; virtutis &  
 eminentiæ tribuunt, quantum vel ro-  
 boris ac virium à parente aliquo bubul-  
 co, vel animi & truculentia, è diuturna  
 bellorum & cædium assuetudine, ha-  
 bet. Quod si jam politiorum imi-  
 tatione gentium, exemploq; antecesso-  
 rum laudabili, in hunc campum mihi  
 digrediendum esset laudum amplissi-

C marum,

## O R A T I O

*Majo-  
res nostri  
Princi-  
pis.*

marum, *Generosissima stirpis Et Domus Sa-  
xonica*, ex qua, Princeps noster ortum  
suum duxit, ex qua Spiritum animamq;  
traxit; initium facile quidem & progres-  
sum habitura esset Oratio nostra; sed fi-  
nem & terminum, in hoc splendore vir-  
tutum, undique se offerentium, rerum-  
que praclarissimarum immensitate, vix  
inveniret. Quis enim ita remotus ab  
omni rerum & temporum notitia, qui  
nesciat, inter illustrissimas & primarias  
Europae familias, Saxoniam Domum  
jam inde a multis seculis eminuisse au-  
toritate, potentia, dignitate, rerumque  
gestarum splendidissimarum amplitu-  
dine? Quis ita peregrinus & hospes in  
omni vetustatis historia, qui ignoret;  
jam inde a VVIDEKINDO MAGNO,  
Rege Saxonum ultimo, laudatissimi  
Ducalis stemmatis Saxonici conditore,  
usque ad hanc nostram aetatem, annos

supra

F V N E B R I S.

supra octingentos, stirpem hanc inclytam, tot Imperatorum, Regum, Electorum, Ducum atq; Principum procreatricem, ac quasi parentem foecundissimam, nunquam desisse viros heroas progignere, Marte & togâ clarissimos; quorum eximia virtus, insignis sapientia, magnanimitas, fortitudo, pietas incredibilis, sparsa & disseminata in orbis terræ memoriam, perq; literarum monumenta, nunquam interitura, jam dudum æternitati consecrata est? Spirat & vivit adhuc (ut propiora saltem attingam) in ipso nomine splendidissimo Ducum & Electorum Saxonix; vivit in hujus Academiæ meditullio, divina virtus summi Principis, FRIDERICI, cognomento BELlicosus; qui & difficilima bella, pro Imperij dignitate suo tempore gessit; Titulumq; Ducis & Electoris Saxonix, qui post mortem Im-

*Fridericus cogn. Bellicosus, Tritavus nostri PR.*

Sa-  
m  
q;  
ref-  
d fi-  
vir-  
m-  
vix  
ab  
qui  
rias  
um  
au-  
que  
itu-  
s in  
ret;  
no,  
limi  
ore,  
nos  
upra

O R A T I O

*Primus,  
hujus  
stirpis,  
Saxon.  
Dux &  
Electoꝝ.*

*Funda-  
tor Lips.  
Acade-  
miæ.*

*Frideri-  
cus Pla-  
cidus,  
Atavus.*

*Alber-  
tus, Ab-  
avus.*

peratorum Saxoniorum ad alias pas-  
sum familias evagatus erat, primus ad  
hanc stirpem sua fortitudine reduxit: &  
quod memorabile est ad omnem poste-  
ritatem, è ruinis Scholæ Pragensis, exu-  
lantes Musas suâ quasi manu in hanc  
Urbem introduxit, hospitiumq; ijs li-  
berale, *fundatâ hac Academiâ*, attribuit:  
heros in omni fortunâ magnanimus,  
bellator strenuus, Musarum Patronus  
& Mæcenas incomparabilis. Nec  
minor in filio virtus fuit, FRIDERICO  
PLACIDO cognominato, cujus singu-  
larem prudentiam, cum animi celsitate  
conjunctam incredibili, perquam his  
terris salutarem fuisse, hostibus verò Im-  
perij oppidò formidabilem, monumen-  
ta quoq; historiarum abundè testantur.  
Et quid de ALBERTO dicam, Filio  
FRIDERICI PLACIDI, Bellicosi Ne-  
pote, Nostri defuncti Principis Abavo?

In

F V N E B R I S.

In quo uno conspirasse videntur omnia  
 ea, quæ quidem data hominibus sunt,  
 ad laudem ac gloriam Militarem: qui  
 Princeps fuit, non minus animo, quam  
 manu & armis, strenuus ac promptus:  
 laude & gloriâ bellicâ suo tempore cele-  
 berrimus, nomine ipso & aspectu, Hun-  
 garis, Gallis, Belgis, Frisijs terribilis: Sa-  
 gacitate animi, & in consilijs expeditâ  
 celeritate admirabilis: fortitudine ac ve-  
 hementiâ in ipso præliorum fervore in-  
 tolerabilis: moderatione, post victo-  
 riam, & clementiâ, vel ipsorum hostium  
 testimonio, apprime laudabilis: Quem  
 DEXTERAM MANUM IMPERII,  
 glorioso elogio Pontifex Romanus insi-  
 gnivit: Quem FRIDERICUS Impera-  
 tor AUGUSTUS, jam senex, *Custodem ac*  
*vindicem Pacis publicæ, & Patriæ, Filijq;*  
*sui Patrem,* in Comitijs solennibus Fran-  
 cofurti salutavit; atque Imperatorem

O R A T I O

Heinri-  
cus Pro-  
avus.

(αὐτονεγίτορα,) cunctis Germaniæ bellis honorificentissimè constituit. Quid porrò Proavus nostri Principis HEINRICUS; Princeps religiosissimus, & per omnem vitam parens subditorum mitissimus; quibus ille laudibus, quo præconio efferendus? qui Pontificijs explosis superstitionibus, sinceriorem cœlestis veritatis doctrinam, invito Fratre GEORGIO, suscepit; eundemq; cum conditiones illi amplissimas, sed duris & periculosis conditionibus, ultrò per Legatos offeret, constantissimè repulit: tandemq; morte absumto fratre Ecclesias & Scholas in omnibus Provincijs suis, de Lutheri ac collegarum consilio constituit, earundemque vitia, singulari orthodoxæ religionis Zelo, emendavit.

Quid deniq; Divi Electores, MAVRITIUS & AUGUSTUS, duo illa Germaniæ lumina & Imperij columina,

alter



F V N E B R I S.

alter Patruus Magnus, alter avus nostri Principis? Quæ oratio, quæ dicendi vis suffecerit his, non hominibus, sed hominum Miraculis? *Extant* publica monumenta insignia virtutis MAURITII, quorum memoria nullis unquam interitura est seculis: disturbata & elisa *Synodus Tridentina* impia; excussum jugum gravissimæ servitutis; languefactæ & enervatæ spes Pontificiorum; Revocata Germania ad libertatem dignitatemq; pristinam; parta sancitaque legibus æquissimis, *Pax sacra*; & sic constituta in Imperio ac constabilita in perpetuum, bono cum DEO, salus & tranquillitas publica. Tibi quoque MAURITI, Princeps inclyte; Tibi peculiariter id debemus, quòd hoc loco jam confidemus; quòd ex hac cathedra jam vox sonat Academica; quòd contigua hæc ædificia, claustra quondam

*Mauritius Elector, Patruus Magnus.*

otio-

O R A T I O

otiosorum Monachorum, pijs jam Mu-  
 sis consecrata, studijsq; dicata liberali-  
 bus, propagandæ in his terris divinæ  
 gloriæ, communiq; hominum societa-  
 ti, utiliter inserviunt. Quamdiu hi  
 parietes stabunt; quamdiu grata poste-  
 ritas aliqua superfutura est; de tanto  
 beneficio tuo nunquam hæc ædes Sacra  
 Paulina, nunquam hæc cathedra conti-  
 cescet. Sed nec, DIVE AUGUSTE,  
 quamdiu voluetur hoc cœlum, quod  
 supra nos est, tua merita filebuntur;  
 tuæq; illæ divinæ virtutes, religiosâ ac  
 sincerâ pietate erga DEUM, suprâ quam  
 fama fert, illustres & eximiæ. Tua e-  
 nim monumenta sunt, omni ære peren-  
 niora; ornatae atq; cumulatae ingenti-  
 bus beneficijs Ecclesiæ & Scholæ; stu-  
 dia omnium Artium bonarum, atque  
 in primis purioris doctrinæ de filio DEI,  
 non excitata tantum ac propagata, sed  
 aucta

Augu-  
 stus Ele-  
 ctor, A-  
 vus.

cata felicissimè: Ad hæc in civilibus re-  
 bus procurata ac constituta salus pu-  
 blica: consilijs atq; auxilijs salutaribus  
 adjuta & fulta sacra majestas Imperij, e-  
 lisæ molitiones turbulentiæ, oppressæ at-  
 que extinctæ conspirationes seditiosæ;  
 quæ non solum his regionibus, verum  
 toti quoque Germaniæ dirum incen-  
 dium atque pestiferum, minitari vi-  
 debantur. Alia sexcenta jam hic præ-  
 tereo, Auditores, quibus se fama A u-  
 G U S T I, non modò per omnem Ger-  
 maniam, sed cunctas etiam Europæi  
 orbis plagas, mirificè dilatavit. Erat  
 enim verè salutaris Gubernator, & tum  
 Ecclesiæ Artiumq; omnium bonarum  
 patronus incomparabilis, tum in com-  
 muni vita justitiæ custos & vindex a-  
 cerrimus, adeoque *φῶς καὶ ὄμμα*, non so-  
 lum Orbis hujus Saxonici, sed totius et-  
 jam Imperij; in cujus laudatissimâ gu-

D                   berna-

O R A T I O

*Christia-  
nus I. Ele-  
ctor, Pa-  
ter.*

bernatione, velut Idea quædam felicissi-  
mi atq; optimi Principis eluxit. Hu-  
jus tanti Principis filius, & tùm in Se-  
ptemvirali dignitate splendidissimâ,  
tum ditionum hæreditate amplissima-  
rum, Successor unicus fuit, C H R I-  
S T I A N U S I. Dux & Elector Saxonix,  
P A T E R defuncti nostri Principis; heros  
excelsitate animi, potentiâ, autoritate,  
pietatisq; zelo, nulli Majorum secundus:  
sed, qui in ipso penè primordio lauda-  
tissimæ gubernationis, inque conatu  
medio rerum maximarum, Morte heu  
nimis immaturâ & luctuosâ, excessit  
ex humanis; cum ætatis annum primum  
& trigessimum nondum explevisset.

*Mater-  
na pro-  
sapia.*

Hæc *Paterni generis prosapia* est, Au-  
D I T O R E S, qua Princeps noster cum  
summis quibusquæ Europæ Regibus &  
Principibus certare potest. *Ma-  
ternam* si adjungere vellemus; dies hic

ipse

F V N E B R I S.

ipſe citiùs, quam Oratio nos deficeret.  
Nominare ergò illam ſatis ſit, cujus  
ſplendorem nullâ eloquentiâ, nullo  
verborum lumine adæquare liceat.

STIRPS Electoralis BRANDEBUR-  
GICA eſt, quæ *Conjugem* CHRISTIA-  
NO I. Electori, & *Matrem* noſtro  
Principi dedit, heroinam generoſiſſi-  
mam, & illuſtriſſimam Dominam, SO-  
PHIAM, ſereniſſimi quondam & incly-  
ti Principis IOANNIS GEORGII,  
Marchionis & Electoris Brandenburgici,  
filiam; Patronam, Matrem & Nutritiam  
ſincerioris Eccleſiæ, ſempiternâ laude  
digniſſimam; quæ præpotentis DEI be-  
neſicio, ſuperſtes in hunc uſque diem,  
non modò annis ſuperioribus Mari-  
tum Principem illuſtriſſimum, eminen-  
tiſſimâ dignitate ſeptemvirali conſpi-  
cuum; ſed ex intervallo quoque filios  
Principes duos, eodem inſignitos ſplen-

D 2 dore,

O R A T I O

dore, inque patritâ & avitâ gubernatione amplissimâ successores inclytos, jam in annum TRIGESIMUM, magna cum lætitiâ vidit; piaq; congratulatione etiamnum inclyti nostri Electoris gubernationem laudatissimam profequitur. Verùm, ut nulla fortunæ titubantis est constantia, nulla certitudo vitæ & rerum humanarum: sic pientissima Princeps, spectacula quoque fragilitatis ac miseræ humanæ acerbissima, semel atque iterum, ante oculos posita habuit: Nempe in marito Principe Magnanimo, ætate floridissimâ, rebus humanis exempto; neq; ita pridem in Principe Electore Filio, similiter in ipso flore ætatis extincto. Ac quantum hoc tempore, per obitum opt. Principis AUGUSTI, vulnus sit inflictum Materno pectori pientissimo, æstimare facilius est, quam verbis & oratione exprimere.

Sed

F V N E B R I S.

Sed missis jam ijs, quæ de generis ac  
 profapiæ splendore, deq; Parentibus in-  
 clytis, breviter attingenda duximus; ad  
 eum se nunc convertat oratio nostra,  
 cujus gratia omnis hic conventus a-  
 gitur. Is verò est Divus P R. noster, Au-  
 G U S T U S; qui non solum è paternâ stir-  
 pe æquè ac maternâ, splendidissimâ, vi-  
 tam & Spiritum traxit; sed simul etiam  
 virtutum semina præclarissimarum, à  
 generosissimis parentibus, simul ipso  
 cum sanguine, hausit. Natus est autem  
 Dresdæ, in arce Electorali, anno Saluti-  
 feræ Nativitatis C H R I S T I, post Mille-  
 simum, quingentesimum, Nono & o-  
 ctuagesimo, die VII. M. Septembris, qui  
 sacer est divæ Reginae Martyri; post ho-  
 ram VI. vespertinam. Estq; hic ipse dies  
 peculiariter notatus in Annalibus Saxo-  
 nicis, propter obitum laudatissimi P R.  
 Electoris, F R I D E R I C I II. cogno-

*Nativi-  
tas.*

D 3 mento



O R A T I O

mento Placidi, Atavi nostri Principis, qui eodem Mense, eodemq; die, vitam hanc mortalem cum immortali permu-  
tavit, hic Lipsiæ, anno CHRISTI M. CCCC. LXIV. atque inde Misenam de-  
portatus, & in peculiari sacello, ad Basi-  
licam extructo, ubi etiamnum inscri-  
ptio tumbæ æneæ legitur, sepultus est.  
Nomen AUGUSTI haud dubiè acce-  
pit in Sacro baptismo, boni ominis  
causa, ab inclyto Electore AUGUSTO  
avo; cujus pietatem insignem, virtutes-  
que alias Heroicas, filio huic suo, quo-  
ties nominis sui meminisset, ante oculos  
atq; animum obversari, Parentes pien-  
tissimi voluere.

Educa-  
tio.

Quia verò *liberalis & honesta persona-  
rum illustrium educatio* verè est *totius Rei-  
publ. stabilimentum firmissimum*; quod Dio-  
togenes Pythagoreus olim sensit; Idcir-  
cò maturè pueritia nostri Principis, Mo-

rum



F V N E B R I S.

rum & studiorum Magistris Aulicis, viris solertissimis & spectatissimis, commissa est, ut ductu horum atque auspicijs, quam rectissimè in pietate, literis, moribus, alijsq; tam animi, quam corporis exercitijs, tanto Principe dignis, ille proficeret. Verùm hanc curam anrevertebat casus (heu!) planè luctuosus & tristis, in aula illustri Electoriâ; cùm Pater nostri Principis, infantis eo tempore quasi bimuli, Elector, inquam, inclytus CHRISTIANUS II. immaturâ morte his terris eriperetur. Quod factum optimi Principis, eò tristius & acerbius his regionibus accidit; quo magis & noster hic Princeps, & fratres ambo Generosissimi, ætate adhuc impubere & debili, præsidio ac curâ paternâ indigebant. Sed factum est, divina providentiâ singulari, ut in illa orbitate, luctu & squallore summo, cura atq; sollicitudo

pater-

O R A T I O

paterna, laudatissimi Principis, FRIDERICI VVILHELMII, Ducis Saxoniae & Electoratus Saxonici Administrato-  
ris ( In hunc quippe velut Agnatum  
Principem, Moles universæ gubernatio-  
nis devoluta fuit, ) tanquam sidus ali-  
quod faustum & salutare his regionibus  
& universo Ducatui Saxonico affulge-  
ret. Hic enim rebus afflictis solatium  
& auxilium attulit: Gubernationem  
consilio atque autoritate firmavit: Au-  
lam Electoralem inclytam, capite ac co-  
lumine suo orbatam, paternè erexit: In-  
primis autem Pupillos illustres, instar fi-  
liorum, toto gubernationis tempore  
habuit. Sub hujus ergò Principis æ-  
quissimâ tutelâ, pueritia quoque nostri  
Principis, tum exercitijs liberalibus, ad  
personæ decus & dignitatem pertinenti-  
bus, tum inprimis salutaribus præceptis  
religiosæ pietatis, earumq; Artium & li-  
tera-

F V N E B R I S.

terarum, quibus ad humanitatem infor-  
 mari animus solet, sedulo diligenter  
 que domi, in aula Electorali instituta  
 est; usque ad annum ætatis XII. quo,  
 maturo consilio, missus est in inclytam  
 Academiam VVittebergensem, ut do-  
 ctorum virorum conversatione magis  
 excitaretur animi indoles generosa, &  
 doctrina tam pietatis, quam literarum  
 & Artium penitus animo imbiberetur.  
 Venit ergo VVittebergam, anno Mille-  
 simo, sexcentesimo primo, die XXI. M.  
 Aprilis, rituq; consueto depositionis ibi-  
 dem initiatus est, die ejusdem Mensis  
 XXII. Ab eo tempore vix semestre ab-  
 iit, cum R E C T O R illius Academiae Ma-  
 gnificentissimus, magno omnium ap-  
 plausu ac congratulatione, est designa-  
 tus; die nimirum D. Lucae, qui in XVI.  
 diem M. Octobris incidit: cum paucis  
 diebus antè CHRISTIANUS II. Frater,

*VVitte-  
 bergam  
 mittitur  
 P.R.*

*Rektor  
 Acade-  
 mie  
 VVitte-  
 bergensis.*

E

Ele-

ORATIO

Electurae Saxonicae haeres, completo feliciter anno ætatis XVIII. juxta tenorem Aureæ BULLÆ, gubernationem Electoralem splendidissimam suscepisset Dresdæ; ipso natali die, qui erat IX. Calendarum Octobris. Gessit autem Magistratum Scholasticum noster P. R. magnâ gravitate, atq; autoritate insigni, totum quinquennium, usque ad annum DCVI. quo V Vittebergâ avocatus, Dresdam redijt, die nimirum M. Maij XXX. Magnum verò decus, atq; ornamentum illustre, illius Academiae fuit, Princeps hic noster; tum præsertim, cum primum à fundatione secularem annum, sive Iubilæum Academia celebravit: Quo tempore spectaculum haud dubiè omnibus jucundissimum fuit, R E C T O R A C A D E M I Æ Magnificentissimus, ex ea prosapia atq; stirpe, ex quâ Princeps & Elector inclytus F R I-

D E R I-

OF V N E B R I S.

DERICUS, cognomento Sapiens, ante annos C. FUNDATOR Academiae Magnificentissimus extitisset. Quantum autem profecerit in studio pietatis & literarum Princeps AUGUSTUS, ex eo manifestum esse potest, quod non solum fundamenta salvificae doctrinae coelestis, sed etiam huic adversantes errores, sophismata & strophas haereticorum probe intellexit, adeoque ab omni corruptela & depravatione verbi divini sanctissimi, toto animo abhorruit. In Lingua vero Latina tantum assecutus est, ut non solum intelligeret, quae Latine dicerentur; sed Lingua etiam hac, ubi ferret occasio, uti ad alios satis promte posset. Quam in re non dissimulavit Princeps optimus, sibi quondam adolescenti Manuuctores extitisse solertissimos, Dn. LUDOVICUM VVILHELMUM MOSERUM, serenissimi PR. Electoris hoc tempore

*Studia  
nostri  
PR.*



O R A T I O

Confiliarium, & Camerae Secretarium primorem; & Dn. D. HIRSCHBACHUM, in inclytâ VVittebergensi Academia, IC<sup>um</sup> & Professore publicum; viros insigni doctrinae eruditione, rerum usu atq; autoritate excellentissimos; quorum uterq; in nostri Principis institutione elaboravit, & laudem singularis fidei, diligentiae atque industriae promeruit.

*Postulatus Administrator Episcopatus Cizensis & Numburgensis.*

Porro Dresdam ex Academia reverfus, anno insequenti, qui fuit VII. à sexcentesimo, ad *Episcopatus Cizensis & Numburgensis Administrationem*, à Reverendissimo illius loci Capitulo, unanimi sententiâ, postulatus est, cum ad *Domini Episcopalis sedis vacuæ*, jam ante nominatus esset, ætate adhuc impubere; anno videl. secundo & Nonagesimo. Homagium verò (quod vocant) à subditis utriusq; diœcesis, more consueto

rece-

F V N E B R I S.

recepit altero pòst anno; Nempe DCVIII. die XVII. M. Iulij. Toto autem Administrationis tempore hoc egit unicè, ut salva esset Ecclesia, salva iustitia, nec quidquam fieret, quo premi se ac gravari, jure subditi quererentur. Anno DCIX. die V. Maij, iter in quasdam Germaniæ partes suscepit; voluitque porrò etiam exteras regiones, imprimis Galliæ & Italiæ provincias lustrare. Sed obsistentibus quibusdam incommodis impedimentisque subitaneis, abruptit iter institutum, & domum reversus est die XXIII. M. Iulij. Triennio pòst, nempe DCXII. ipsis Calendis Ianuarij, *nuptias* Dresdæ celebravit, cum generosissimâ id temporis sponsâ, ELISABETHA, Illustrissimi & Celsissimi Principis, HEINRICI IULII Ducis Brunsvvicensis & Lunæburgensis, filiâ; quam viduam hoc tempore su-

*Nuptia.*

E 3 persti-



O R A T I O

perstitem, sine sobole, sine marito (proh dolor!) in luctu & dolore acerbissimo, post se relinquit: postquam cum eâ quadriennium in suavissimâ conjugij consuetudine, non penitus explevit.

Vita reliqua.

In reliquâ vitâ noster PR. studiosè coluit eas virtutes, quæ hominem Christianum, & in primis virum Principem, commendare solent. In his ducem sibi legit *Pietatem*, quæ in verâ nostri σωτηρίας & agnitione, vitæq; Christianæ puritate & sanctimonia consistit. Hanc declaravit piâ ac constanti consensione, de doctrina sincerioris Ecclesiæ, traditâ in Prophetis & Apostolicis scriptis, repetitâq; ac comprehensâ in libro Christianæ Concordiæ: assiduâ item attentâque auscultatione & lectione verbi Divini; & domesticis precum piarum exercitijs, quæ manè ac vesperi, diebus singulis, suâ in aulâ habuit. Sed & frequens ei

in



F V N E B R I S.

in ore ac calamo fuisse memoratur id,  
 quod pro Symbolo quondam, inclyto  
*Electori CHRISTIANO II.* quoq; fuisse  
 scimus: TIME DEUM: HONORA  
 CÆSAREM. Quo simul & pietatem  
 suam erga DEUM, & submissam reve-  
 rentiam, erga summum orbis Christia-  
 ni caput, *Cæsaream* inquam *Majestatem*,  
 palâm profiteri voluit. Non rarò etiam,  
 cùm in hac naturæ depravatione, mor-  
 boq; communi, suam quoq; infirmita-  
 tem seriò agnosceret, insigni se hoc sola-  
 tio mirificè erexit ac confirmavit; quòd  
 certò sciret, *Sanguine IESU CHRISTI*  
*Filij DEI*, se ab omni labe peccati, vitij-  
 que nativi impuritate, mundatum, inq;  
 numerum electorum, immutabili de-  
 creto DEI, adscriptū esse. Porro cum ti-  
 more ac cultu DEI, conjunxit insignem  
 pietatem erga Matrem principem, stu-  
 diumq; præclaræ affectionis & obser-  
 van-

O R A T I O

vantiæ erga Fratrem Electorem : Qua  
 utraq̃ue virtute, haud scio, an nullum,  
 præsertim in viro Principe, majus orna-  
 mentum esse queat. De FRIDERICO,  
 BELLICOSO cognominato, qui pri-  
 mus, ut dixi, in illustri profapia hac, Ti-  
 tulum Ducis & Electoris Saxoniae pro-  
 meruit, memoriæ proditum est ; cum  
 morti jam propinquum, gravi oratione  
 adhortatum esse filios duos, FRIDERI-  
 CUM & VVILHELMUM, tum ad alias  
 virtutes, tum inprimis ad concordiam  
 mutuam ; & post multa verba, sic tan-  
 dem finijse Orationem : *Ad Majorum  
 nostrorum honores (inquit) novus per me  
 titulus accessit ; eum ita tuere Tu, FRIDE-  
 RICE, ut par est ; & ut nos tibi virtute &  
 laboribus prævivimus. Tu verò VVIL-  
 HELME, quantum fratri, tenatum majo-  
 ri, detuleris ; tantum commodaveris tibi ipsi.  
 Amate igitur invicem vos, & hanc moni-  
 tionem*

F V N E B R I S.

*tionem paternam, cum animis vestris, quam  
 sapissimè repetite* Quod tùm illi  
 V V I L H E L M O , Duci Saxonix, annis  
 ab hinc paulo minus C C. à parente Ele-  
 ctore, dictum fuit, ut fratrem natu Ma-  
 jorem, honoraret ac coleret; id suo ha-  
 ctenus animo infixum penitissimè Prin-  
 ceps noster habuit; qui & fraternè dile-  
 xit eum, quem fratrem sibi natura de-  
 derat; eundemq; ut ætate & dignitate  
 Electorali superiorem, modis omnibus  
 suspexit ac coluit. Memorabile est  
 fraternæ dilectionis illius ac concordix  
 indicium, quod muneri cuidam hono-  
 rario, sub proxima C H R I S T I Natalitia,  
 paucis ante obitum diebus, ad fratrem  
 Electorem misso, incidi voluit hisce ver-  
 bis: *Ecce quam bonum, & quam jucundum,  
 habitare fratres in unum.* Sed & simile  
 pietatis ac reverentiæ documentum in-  
 clytæ Principi Matri exhibuit, eodem

F

tempo-



O R A T I O

tempore; cùm munus ei adornatum  
 hisce curâset insigniri literis: *Honorem  
 tribuens matri, colligit ingentem thesaurum.*  
 Magnum sanè piæ præclaræq; affectio-  
 nis & observantiæ argumentum, in tan-  
 to Principe; & omnino dignum memo-  
 riâ posteritatis; dignum elogio atq; imi-  
 tatione apud cunctos, summos, medio-  
 ximos, infimos. Cæterùm in vitâ priva-  
 ta, veracitatem maximè amavit, alienus  
 ab hypocrisi & simulatione fuit; præter-  
 ea beneficus, sed absq; inconsultâ, & ad  
 inanem ostentationem comparatâ, pro-  
 fusione. De eo sanè constat, certam pe-  
 cuniæ summam, jam aliquot, ab hinc  
 annis, constitutam ab ipsius Celsitudi-  
 ne, quæ per hebdomadas singulas in e-  
 genos & pauperes distribueretur.

*Valetudo  
 & tandè  
 subsequuta  
 Mors.*

Valetudinis incommoda varia no-  
 ster Princeps sensit; & in primis anno su-  
 periori DCXIV. primum feбри arden-  
 ti, po-

F V N E B R I S.

ti, postea sanguinis profluvio periculose laboravit. Sed depulsa tamen ista infirmitate, mediocriter hactenus valere visus est; donec tandem Mense Decembri nuperrimo, ad quem fata eum reservarent, in nervum, vis Morbifica omnis erupit. Primum verò Coldicij, ubi tum temporis commorabatur, die Mensis illius XVII. circa noctem intempestam, nescio quas cordis sensit compunctiones insolitas: quibus tum utcunq; sedatis, itineri se postea dedit; Dresdamq; reversus est, die demum XXIII. sed ita, ut languorem secum, atque invaletudinem manifestam ex itinere afferret. Hanc altero die, qui fuit XXIV. Decembris, febris excepit, cum aestu atq; ardore magno; quæ continuata per noctem illam totam, in subsequenter usque diem, ipsum nempe Natalem domini, sine intermissione duravit. Quare & concio-

O R A T I O

nem eo die privatam suo in conclavi, au-  
dijt; & sacris meditationibus, quantum  
permisit corporis infirmitas, continuè  
vacavit. Die verò XXVI. qui Divo Ste-  
phano Protomartyri sacer est, quiq; fa-  
talis & decretorius nostro Principi fuit,  
defectionem virium rursus sensit ingen-  
tem: cum præsertim cibum nullum to-  
to novendio gustasset. Veruntamen &  
in lectulo concionem manè iterum au-  
divit, & in prandio etiam Mensæ, atta-  
men nullo penitus sumto cibo, assedit.  
Cumq; per eum diem, à Theologo præ-  
sente, semel atq; iterum monitus esset,  
de fide retinendâ firmâ atq; constanti in  
Christum Mediatorem, & de beato dis-  
cessu, ex his terrenis Miserijs, deq; vitâ ac  
beatitudine æternâ; semper animo im-  
perterrito ac constanti voce, significavit:  
*Se acquiescere in nutu voluntateq; Altissimi;  
paratumq; esse ad moriendû, quo vis momen-*

to: *Discessurum se in verâ constantiq; fide, & agnitione ac confessione sincerâ Redemptoris sui unici, CHRISTI JESU: Nullo prorsus se torqueri sensu iræ divinæ, sed pacatam habere conscientiam in CHRISTO: Deniq; spe certissimâ futuræ illius vitæ melioris, se suaviter in hoc ipso Mediatore suo obdormiturum.* Inter hæc quoque, voce clarâ & ardenti Spiritu pronunciavit dictum insigne, quo semper eum mirificè delectatum accepimus; *Sanguis JESU CHRISTI, Filij DEI, mundat nos ab omni peccato.* Tandem verò, cùm morbi vis ingravesceret, & jam vox Principem optimum deficeret, nutu nihilominus atque manu significavit, se in fide IESU CHRISTI constanter perseveraturum: Donec ad extremum, post horam VI. vespertinam (*quo temporis articulo in hanc quoque lucem, ipsius Celsitudo prodierat.*) dum media penè verba Precatiunculæ

O R A T I O

D. Eberi notissimæ, ab astante Theologo, clarâ plenaq; voce pronunciarentur, intercidente penitus Spiritu, beatissimam animam, sine ullo doloris aut angoris sensu, placidissimè CHRISTO Redemptori suo reddidit; ipsoq; die STEPHANI, sancti Martyris, τῆς δόξης στέφανου ἀμαράντινον, hoc est, *immarcescibilem gloria coronam* meruit; post exactos, in hac ærumnosa vita, ætatis annos XXVI. Menses III. dies XIX.

*HABETIS jam ortum & vitam  
nostri Principis:*

*Habetis mortem, AUDITORES.*

IPSE nunc est in sinu, inq; complexu Redemptoris sui CHRISTI IESU: vivit & exultat in conspectu DEI: triumphat in beatâ sanctorum omnium congregatione. Nullus ibi sensus miseriarum: nulla dolorum ac calamitatum memoria, nulla recordatio. Nos hîc crucia-

mur,



F V N E B R I S.

mur, hîc gemimus, hîc suspiramus; & tamen ad fatalem & decretoriam illam horam, (ô miseri!) expavescimus: ad nomen & sonum mortis, toto pectore, cohorrescimus.

Agite verò, ad beatum hoc iter in tempore nos quoq; præparemus: excutiamus, qui Christiani sumus, horrorem mortis; desiderium vitæ melioris in nobis excitemus: Exuamus mortalitatem, ut immortalitatè induamur: Idq; fide ac fiduciâ unius Mediatoris nostri; qui est vita nostra, nostra salus; in quo & per quem nobis patefacta via cœli, & parta beatioris illius ævi gloriosa ac sempiterna hæreditas.

Dum verò hîc sumus, dum conflictamur cum miserijs humanis, devotis animis, conjunctisq; precibus, DEUM misericordem, nostrum opitulatorem unicum, imploremus, exoremus, obtestemur, ut Spiritu nos suo regat & adversus Satanæ,

mun-

ORATIO FVNEBRIS.

mundi & inferni terriculamenta præpotenti suâ virtute confirmet ac corroboret: tueatur in primis ac conservet nobis, in hac fatali perturbatione rerum, & diaboli ac Mundi furore extremo, *Serenissimum Principem nostrum Electorem, JOANNEM GEORGIVM* cum generosissimâ familiâ & stirpe inclytâ Saxonicâ universâ; ut salvo hoc capite, hoc columine orbis Saxonici, religio apud nos sincera colatur, justitiæ thronus stabiliatur; vigeat ac conservetur Pax publica; & cum honestissimis Artium optimarum & doctrinæ studijs, salva inviolataq; ad seram posteritatem, divinâ auxiliante gratiâ, transmittatur: Idq; propter Christum Mediatorem nostrum, cum æterno Patre & Spiritu sancto, DEUM unum & trinum, præpotentem, æternum gloriosum, celebrandum & laudandum  
in finitis seculis.

REC-



RECTOR ET SE-  
NATUS CONSILII PER-  
PETVI IN ACADEMIA  
LIPSIENSI.



*Ictus est dies huius Mensis  
sextus Exequijs funeralibus Cel-  
sissimi & inclyti PR. AVGVSTI,  
Ducis Saxoniae, Juliae, Cliviae &  
Montium, Landgravij Thuringiae,  
Marchionis Misniae, Co-  
mitis de Marcâ & Ravensburg, Domini in Ra-  
venstein, Postulati Administratoris Episcopa-  
tus Cizensis & Numburgensis; Principis quon-  
dam & Domini nostri benignissimi: cuius sanctis-  
sima anima, Mense Decembri superioris anni, die  
sexto & vigesimo, circa VI. horam vespertinam,  
è terreni corporis evocata domicilio, in verâ JESV  
CHRISTI nostri Redemptoris agnitione, in voca-  
tioneq; ardenti, ad beatarum Mentium sempiter-  
num illud & caeleste concilium abiit: Corpus au-  
tem exanime, Ducum & Electorum*

G

Saxo-

*Saxonia Gentilitijs monumentis in Urbe Friber-  
gâ, eo, quem diximus, die, Christiano solenniq;  
ritu, inferetur. In hoc publico luctu, ut nostro  
quoq; loco, documentum evidens statuamus, no-  
stræ erga beatissimum Principem pietatis ac gra-  
titudinis submissæ; utq; testemur, communem il-  
lum mœrorem & dolorem acerbissimum, in quo  
tota Electoralis & Ducalis Aula Illustrissima  
versatur hoc tempore, non minus ad nostrum,  
quàm alium quemcunq; Ducatus Saxonici Or-  
dinem, pertinere; nostrarum partium esse duxi-  
mus, non modo publicum solennemq; conventum,  
in quo Principi inclyto more Academico parente-  
tur, indicere; Sed simul etiam adhortari seriò  
Cives hujus Universitatis singulos & universos,  
studiosam inprimis juventutem, ut tum his ipsis  
diebus, quibus hic & alibi justa Principi opti-  
mo persolventur, tum etiam deinceps, quàm  
diu luctus communis signa prostabunt in publi-  
co, sic animos suos, vitamq; omnem, privatam  
& publicam, moderentur, ut hoc mœrore luctuq;  
gravissimo Domûs Illustrissimæ Saxonica, verè  
se affici testificatione τῆς συμπαθείας sincera  
ac Christiana, subjectissimè demonstrent. Id e-  
nim à nobis pietas Christiana requirit, ut pios &  
salutares Principes à DEO societati hominum  
dari*

dari agnoscamus; & idcirco omni reverentiae  
subjectionis & obedientiae studio vivos illos prose-  
quamur; erga defunctos vero debita quoque grati-  
tudinis significationem, affectumque pijs desiderij  
nostri ore & animo, & quocumque debinc fieri po-  
test submissae voluntatis & officij studio, testifi-  
cemur. Ac cum certum indubitatumque sit,  
non casu aliquo, aut caeca fati necessitate, Viros  
praesertim Illustres ac Principes, e medio tolli re-  
rum humanarum: Hanc quippe cladem vel ho-  
minum ingratitude parit, dona DEI non agno-  
scentium in illustribus Viris, vel alia peccata no-  
stra, quae DEUM, justum iniquitatis vindicem,  
adversus nos commovere, poenasque tum publicas,  
tum privatas accelerare solent: Ea propter ex-  
empla hujusmodi funerum, ante oculos subinde  
obversantia, de ira divina & impendentibus pe-  
riculis nos commonere, & ad curam verae pieta-  
tis, vitaeque sanctioris institutum animos rapere  
atque inflammare omnino debent. Nobis sane  
nondum abiit quinquennium, cum praematura  
morte regionibus hisce vidimus ereptum, inchy-  
tum Saxoniae Ducem atque Electorem CHRISTIA-  
NUM II. Principem pietate atque excelsitate ani-  
mi laudatissimum; non sine dolore subditorum a-  
cerbissimo, luctuque & desiderio cunctorum ordi-

num maximo. Ab hoc, tam brevi temporis intervallo, secundus jam est FRATER, & ipse Princeps inclytus, AUGUSTUS, cui hoc tempore exequias, debita gratitudinis studio, paramus. Is suo jam obitu, repentino & inopinato, non solum renovasset omnem illam luctus & doloris superioris acerbitatem; sed multis eam modis etiam auxisset ac conduplicasset; nisi præpotentis DEI misericordiâ ac bonitate nobis superesset, Illustrissimæ Domûs Electoralis Saxonicæ Lumen ac Columnen nunc Unicum, ipse nimirum PR. Sereniss. JOHANNES GEORGIUS, Saxonicæ, Julicæ, Clivicæ & Montium Dux, S. Romani Imperij Archimarschallus & Elector, &c. Princeps & Dominus noster clementissimus; pro cuius salute & incolumitate diuturnâ, votis & precibus pijs ad DEUM, excubare nos indesinenter, ipsa pietas Christiana jubet, & præcipit, in hac circumstantium undiquè periculorum magnitudine, publicæ rei necessitas: Ut vivente ac florente hoc Imperij Principe Septemviro, unâ vivat, & securâ à contagio serpentium hinc inde pestilentissimarum αἰετόσενων, per has finitimasq; oras, felicibus incrementis simul efflorescat sincera atq; orthodoxa CHRISTI Ecclesia; vigeat pax publica; & propagentur in Scholis & Aca-

demijs,

demijs, ad posteritatis salutem & decus, literarum  
& Artium nobilissimarum studia. Id nobi-  
scum ex animo precari omnes, quotquot amore  
Christiana pietatis, aut salutis publicæ desiderio  
saltem aliquo tanguntur, certum nobis indubi-  
tatumquè est. Unum verò est, quod justus,  
isque vehemens animi dolor, haud dissimulare nos  
hoc tempore sinit. Reperti sunt hisce & su-  
perioribus diebus aliqui, valde profectò improbi  
& temerarij, qui in hoc communi luctu, quo con-  
ticescere vocem intempestivæ letitiæ, omnemquè  
lascivientis protervia conatum procul abesse oport-  
tebat, immemores tamen officij, oblitiquè pietatis  
& modestiæ, nocturnis vociferationibus planè a-  
grestibus atque indecoris, turbare quietem publi-  
cam, & ferociam nescio quam, minimè convenien-  
tem huic ordini velut de industriâ, hinc inde per  
vicos Urbis, ostentare non veriti sunt. Hos de-  
nuò monemus paternè, ut desistant ab hac petu-  
lantiâ & temeritate suâ, atque ita se gerant, ut,  
quales perhiberi volunt, pietatis, virtutis & do-  
ctrinæ liberalis studiosos se esse, vitæ morumquè  
honestate testatum faciant. Quod si contra  
hoc edictum nostrum, aliqui porrò etiam, duran-  
te præsertim hoc publico luctu, suo vivere potius  
ingenio, quam legibus & Magistratui obedire vo-

luerint; in eos comprehensos delatosve severissi-  
ma animadversio, secundum praescriptum Statu-  
torum, haud defutura nobis est. Jam, quod  
reliquum est, universis & singulis hujus Acade-  
mia Civibus, programmata hoc publico significa-  
mus, ad praefinitum diem, Mensis huius Sextum,  
qui est proximus dies Martis, sic constitutum esse,  
ut Principi inclyto, jam in sinu CHRISTI beatissi-  
me viventi ac conquiescenti, Parentalia fiant, &  
justa exequiarum (quod Christiana pietatis offi-  
cium postremum est) usitato solennique ritu, in hac  
Academia & Urbe peragantur. Quare au-  
toritate officij jubemus atq; precipimus, ut omnes  
ij, qui jurisdictioni se nostrae suppositos agnoscunt,  
cujuscunq; sint ordinis, gradus ac conditionis, dicto  
die post horam VI. matutinam, audito pulsu Cam-  
panarum, primum in templo D. Nicolai, Ubi Ma-  
gistratus Urbis se conjunget cum Academia, fre-  
quentes conveniant, atque inde nos in templum  
Paulinum usq; comitentur: Ubi funebri oratione  
Latina, Parentationis initium, pro more, fiet: Re-  
bus ibi finitis, ordine postea decenti ad templum D.  
Thomae nos sequantur; ad Concionem audiendam  
Germanicam, quae accommodata ad exequias si-  
militer, eo loco, coram populo habebitur. Utrobique  
autem, precibus publice junctis, iterum atq; ite-  
rum,



rum, aeterna Deo devotissimè commendent salu-  
tem & incolumitatem Serenissimi Principis no-  
stri, cum Generosissimâ Domo Sax. universa; ut  
stante Hoc ORBIS SAXONICI COLUMINE, stet  
atq; corroboretur, inter tot sevientis Satanæ diras  
impressiones, Ecclesia; ac conservetur in pace, &  
diuturnâ felicitate, in hac fatali perturbatione re-  
rum, hic & alibi, Christiana Respublica. PP. Die  
IV. M. Februarij, ANNO CHRISTI M. DC. XVI.



NEMIA

N E N I A

*Super luctuoso Obitu, & beato ex hac terre-  
na in cœlestem AULAM abitu*

ILLUSTRISS. AC CELSISS.  
PRINCIPIS ET DOMINI,

Dn. AVGVSTI,  
Ducis Saxonix, Iulix, Clivix,  
& Bergæ, &c.

**Q**uid sibi vult casus MAGNATUM, inopinaq; Fata?  
Ut fugiant misero Fata futura Solo.  
Fata DUCUM inprimis glomerata pericla mi-  
Qui quoties obeunt; certa ruina subest. (nantur;  
Ex horum numero AUGUSTUS nunc occidit Heros;  
SAXONICÆ Excelsus Dux columenq; Domus.  
Ardor totius PATRIÆ, & Spes altera, culmen  
Sinceræ Eusebies, & probitatis Honor.  
Hinc omnis PATRIA infausto squalore tenetur;  
Templaq; dant querulos, Publica resq;, sonos.  
Diditur in lacrimas, exoptatumq; MARITUM  
CONIUX, GVELPHIACO Sanguine nata, dolet.

Nec

Nec minus & GENITRIX, FRATERQ; Serenus, & Alti  
Cum gemitu solvunt justa suprema DUCES.  
Heu miseram nostri Fortunam! Heu Fata dolenda,  
Ponè secuturi symbola scæva mali!  
Versamur certè in postremis; ultima rerum  
Prostant; & vertent postmodò multa vicem.  
Historiæ perhibent, & sacri Oracula Flatus;  
De nihilo quod non tanta ruina fiet.  
Spes est una super Nobis clementia JHOVAE;  
Auxilium humanum deficit, JHOVA juva.  
Parce tuo POPULO; Mala fontica verte; superstes  
Cum vera maneat Relligione Quies.  
JHAN GEORGUM PATRIAE PATREM, cum CONJUGE, serua;  
Stetq; illibatis incluta RUTA comis.

MARCUS Kohrscheidt D.



H

Ode

ΟΔΗ ΣΑΥΕΤΙΚΗ ΚΑΙ ΠΡΟΣΕΥΧΤΙΚΗ

De Obitu Ill. Principis

Dn. A V G V S T I,

Ducis Sax. &c.



*AUGUSTE* Avo cognominis inclyto,

Quem PAX honorat laudibus, & pia

CONCORDIA argento omni & auro

Firmior ac potior celebrat:

CONCORDIA inuisa hostibus omnibus,

Qui consequi fingunt meritis polum;

Et qui Fidem turpare calva

Cum Ratione volunt potentem.

Insanientes dogmata consuunt,

Herentia ad fracta stipula modum:

CONCORDIA eterno illa VERBO

STAT superedificata tota;

Quod praeualebit nulla potentia, aut

Vis inferorum vellere: pallidum

Sive in furorem vertat equor,

Sive neces minitetur armis.

AUGUSTE, tanti principij Nepos,

Flos Christiani sanguinis ardue;

Sic morte transis, atq; Regnum

Deseris, ad meliora Regna:

Partemque curarum in scapulas memor

Fratris patentes reijcis: Integra

Nunc

Nunc cura, quæ divisa nuper,  
Fortius unica terga lassat.  
JOHAN GEORGI, Saxonica scutum  
Firmumq; terræ praesidium; cave,  
Ne luctus hic vires acerbis  
Debilitet, minuatq; sensum.  
Majoribus nunc viribus est opus;  
Luge ergò parcè; Rodit & exedit  
Luctus Cor, Affectum facitq;  
Immemorem esse sui & suorum.  
Et luctui Vos parcite, parcite,  
Deserta Coniunx, Mater & inclita;  
Et cæteri, quos jungit ardor  
Sanguinis, & venerandus ordo.  
Insertus ille est concilio Deum,  
Mistusq; sanctis patribus: hic orat,  
Nostrasq; curas ac dolores  
Despicit, & miseratur exors.  
Non laude terris his caruit sua  
AUGUSTUS; at quis connumeraverit  
Versu brevi? Laudare non est,  
Deterere est, minus explicare.  
JOHAN GEORGI, fortior indies  
Sis atq; vivas: Et Soboles triplex  
Tutetur amplos Rutæ honores,  
Cœlituum faciens honori.  
M. Cunradus Bavarus Poët. P. of.

MC

No. 2462 GJK

MC



ULB Halle  
004 788 818

3



Von







*H. 27, 6*

Paneg

AU  
Saxon  
& M

In public

Anno

JOANN  
Ulriusq

LIPSIÆ,

Vc  
2462

